

sensus est: Historiam Venetam italice plures descripsérunt, latine pauci. Probavit se egregium historicum, & qui meretur comparari cum antiquitate. Ridet eum quidem Bodinus, quod comparationem instituat rerum bellicarum Romanorum cum Venetorum, sed immerito. Habet enim similitudinem in bellis cum Romanis: in pacis vero artibus cum Romanis. Honorifice de illa judicat Cimbriacus (a) Legi nuperrime historiam rerum Venetarum ab U.C. facundissime ac eruditissime abs te scriptam: quae non mihi quidem placuit, sed perplacuit: videbare enim mihi inter legendum me Patavinum Livium audire: cuius ut imitator es studiosissimus, ita dicendi charactere mirifice expressisti: diligentiam & facundiam assecutus es, ut cum eo comparari possis. Haud ita Augustinus Cardinalis Valerius nono Venetae suae historiae libro, cuius exemplar, manu exaratum apud cl. v. Bernardum Trivisanum vidimus: Et rerum a Venetis gestarum usque ad haec tempora Marcus Antonius Sabellicus suam contexuit historiam: homo qui Venetiis rhetorice docuit, qui bello Ferriensi interfuisse se scribit, qui ab U.C. longam conscripsit historiam, nominis Veneti amantissimus, qui nunquam in Senatu fuerat, & qui in humili loco natus Principum consilia, & Senatus consulta, conciones etiam ipsas ita inserit historiae, ut & posteritatem, gubernandae Reip. rationem satis docere videatur. At Petrus Justinianus historiae suae initio ingenue fatetur, Debere plurimum Venetam civitatem M. A. Sabellici cineribus, qui primus eloquentiae suae fulgore lumen rebus nostris infudit. Historiam enim Venetam mira sermonis puritate duobus & triginta clausit voluminibus.

Ut vero quibusdam in rebus excellat id opus, habet multa, eaque fatis magna quae damnes. Sit primo loco neglecta veritas, dum quaedam fucus refert, atque Andreas Dandulus aliquie Venetarum rerum scriptores qua veteres, qua recentes. Accedit, confundi ab ipso temporum seriem, adeo ut ne sibi quidem, nedum aliis constet; quod manifestum cuvis fiet annos intuenti, quos ad hujus operis margines notavimus, & qui operam dedimus, ut rerum veritati potius, quam historici iudicio essent conformes: in quo placuit ab auctore non raro abscedere, ne cum eodem a recto veritatis tramite aberraremus. Vitio illi quoque tribuitur, quod etiam ipse fatetur quandoque, ineptissimos annales adhibuisse, stilo prorsus plebejo descriptos, neque fatis antiquos aut diligentes. Multa illius in historiam & dixit Merula & scripsit, atque illud in primis, quod ex veteribus Venetorum Annalibus narrationes suas Coccius deduxerit. Fuerat aliquando Sabellico amicus Merula; mox aemulus illi & inimicus evaserat, vel quia raro fit ut studiis iisdem addictos conciliet verus amor, vel quid aliud fuit in causa, quod declarat Sabellicus literis (b) ad Danielem Raynerium datis, doctissimum tum Senatorem, ac deinde Procuratorem nostrae Reipublicae. Ea vero Merulae jam extincti objecta diluens Sabellicus, Nulli hominum, inquit, minus infestus fuit a principio, quam Sabellico: nullum postquam res Venetas scripsit, est gravius infectatus: fuit enim ex confessio Veneti nominis inimicus, cum observantissimus esse debuisset, si grato fuisset ingenio (stipendio a Venetis conductus, plures annos Merula humaniores literas professus erat). Noluisset credo ab aliis scribi, quae ipse aut noluit scribere, aut non potuit. Sed audi hominis cavillum, ne delirium dicam. Criminabatur me in Veneta historia, quum diceret non oportuisse sequi me Venetos annales: ceu Crispus, Livius, Dionysius & alii Punicos secuti sint, non Romanos: aut ipse cautius fe-

(a) Inter
Sabell.
Epist. lib.
III.

b) Epist.
lib.X.